



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Consideratio de inspectione status.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

liam Sacerdotis Ethnici deperisset, eamque sibi in Coniugium dari petiisset, & quia Sacerdos Ethnicus ex idoli sui marito sic requisiverat, etiam DEVM, omnisque Caelites adorasset, postea, ubi idolum quoddam Sacerdos Ethnicus, an matrem suam deponere deberet, interrogaverat, respondit: *Non des illi, nec enim DEVS illum adhuc deseruit*: adeo hoc responso compunctus est, ut in amarissimis lacrymas effusus ex illo momento firmissimè statueret, Deum qui se tam graviter delinquentem, & abjurantem necesse deseruerat, nunquam amplius derelinquere, idque responsum præstiterit.

Colloquium fiet imaginando IESVM Christum coram adesse in cruce fixum. Itaque exquiram mecum rationem qua Creator ipse infinitus fieri creatura, & ab aeterna vita ad temporariam mortem venire pro peccatis meis dignatus sit. Arguam insuper meipsum percontans, quid habuerim dignum memoratu egerim pro Christo? quid agam tantum aut agere debeam? & in eum intuens sic cruce affixum proloquar, qua suggeret mens & affectus. Porro Colloquium proprium est, ut fiat sicut Amici sermo ad Amicum, sicut ubi ad Dominum, nunc gratia aliquid petendo, nunc culpam aliquam meam incusando, interdum propria, qua se communicando, ac petendo consilium super illis, sive auxilium. Ultimo dicatur Pater noster.

Consideratio.

Prima hæc consideratio erit inspectio Status sui; cuius examen instituetur in primis circa peccata & defectus potiores, quibus adhuc obnoxius es, ut deprehensis morbus potius, eorumque radicibus, tanto facilius media adhiberi possint, quæ perfecta sanitas obtineri possit.

II. Facto hoc Examine considerari breviter poterit quantum opere Sanitas spiritualis seu liberatio à morbis spiritualibus necessaria sit Sacerdoti curam Animarum gerenti; id ex eo deprehendere facile poteris, quod, sicut Operarii & Artificibus temporalibus quivis morbus, vel etiam capite molestissimus est, quod à sperato lucro & modo de operum ac laborum suorum impediatur, ita Operatio spirituali tanto gravior ac molestior accidere morbus animæ

Seu peccatum debeat, quanto graviore à lucro & augmento eundem impedit, videlicet primò à lucro & incremento *glorie divinae*, cujus pars minima omnibus alijs lucris eliam collectivè sumptis preferenda est: dein à lucro *propria salutis & meritorum*, quod itidem pluris, quàm alia lucra omnia temporalia, faciendum, cum nihil profit homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum faciat: & tandem *aliena salutis* lucro, quod tanti faciendum est, quanti æstimandæ sunt ipsæ animæ, quæ omnes res alias mundi longissimè antecedunt.

III. Quia verò morbi efficaciter curari non possunt, nisi radix morbi tollatur, idèd hæc specialiter indaganda est, deprehendensque, eam tibi jam pridem à S. Jacobo c. 4. fuisse indicatam, dum dixit: *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, qua militant in membris vestris. Vnusquisque enim, ut idem c. 1. ait, tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Vide proin cujus rei concupiscentia hætenus in tantum malum te præcipitavit, an honoris, aut voluptatum, aut divitiarum? & quomodo hanc radicem extirpare possis, scilicet eadem fermè ratione, quâ concupiscentiam noxij ejuspiam cibi tollere solemus, ut scilicet, sicut hoc in casu inprimis damna ex cibi talis sumptione oriri solita demonstramus, & postea ad cibum longè meliorem, saniorémque à nobis oblatum comedendum hortamur, ita ad internam quoque concupiscentiam rei hætenus inordinatè concupitæ tollendam, falsitatem bonitatis & damna bene perpendamus, simulque, quàm omnis hæc apparens bonitas infinities perfectius in DEO possideatur, consideremus, illud sap. 13. ad præsentem materiam accommodantes: *Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant, quanto his Dominator eorum speciosior est; speciei enim Generator hac omnia constituit.* Claudatur hæc consideratio brevi oratiunculâ, quâ & venia præteritorum peccatorum suppliciter petatur, & gratia ad eadem deinceps cum radice extirpanda flagitetur, eundemque in finem etiam SS. Patronorum & B. Virginis patrocinium imploretur.